



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Flores Directorii Inqvisitorvm**

**Bariola, Luigi**

**Mediolani, 1625**

Consilivm Vigesimvmtertivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11434**

## CONSILIVM VIGESIMVM TERTIVM.

**N**Prior Regularis duos Fratres ex Dominio interdicto aufugientes recepit quos in sua Ecclesia celebrare permisit, eò quod asserabant interdictum non violasse.

Quæritur, an præfatus Prior, ex tali permissione censuram, aut pœnam aliquam incurriterit.

**R**Espondeo, præfatum Priorem, nec excommunicationem maiorem, nec irregularitatem aliquam contraxisse. Non irregularitatem; hæc enim non contrahitur, nisi in iure expressè habeatur. c. Is qui, de senten. excomm. in 6. at tale quid in corpore iuris non reperitur. Nam in Clement. 1. de sepulturis, & in Clement. 1. de senten. excomm. in 6. in quibus agitur, de violentibus interdictum, non habetur, quod admittens aliquem ad celebrandum, vel censuram, vel pœnam aliquam incurrat. Nec est dicendum præfatum Priorem excommunicationis maioris sententiæ incurrisse, eò quod communicauerit cum eo, qui interdictum (dato, & non concesso) violauit. Nam ubi quis, vel pro excommunicato, vel pro interdicto publicè denunciatus non fuerit; vel ubi in criminе cum tali non participauerit cum eodem communicare licet; nec excommunicationis maioris sententia contrahitur. Ita Martinus V. in Extrauag. ad euitanda, &c. Nuper. &c. Si concubinæ, de senten. excommunicat. Cum ergo prædicti Patres ex Dominio Interdicto reuertentes, nec pro interdictis, nec pro excommunicatis tunc temporis fuerint declarati; nec præfatus Prior cum eisdem in criminē communicauerit; dicendum necessarij nullam propter hoc excom-

municationis maioris sententiam contraxisse. Accedit, quod nulla excommunicatio maior à iure, vel ab homine lata regulariter incurritur sine peccato mortifero. Cap. Nemo. c. Nullus 11. q. 3. & nulla in præfato Priore apparet peccati mortiferi labes, &c. Accedit eodem, quod in hoc casu quæstio facti, & non iuris tantum agitatur, An videlicet præfatus Prior scuerit, aut scire potuerit supradictos Patres interdictum violasse; cum autem omni diligentia, arbitrio boni viri adhibita, id scire haud potuerit; & ignorantia facti excuset. de reg. Iur. in 6. ergo &c. quinimò præsumitur ignorantia ubi non probatur scientia. per reg. 47. in 6. ergo præsumendum præfatum Priorum ignorasse prædictos Patres interdictum violasse, si tamen forte confiterit illos eosdem in loco interdicto aliquando celebrasse.

---

## CONSILIVM VIGESIMVM QVARTVM.

---



**N** Conuentu N. Regularium afferuabantur Sacrae Reliquiae in quadam capsâ parum decente, sub quatuor clauibus à Priori, & alijs tribus Patribus retentis. Placuit Priori partem Reliquiarum extrahere quod decentius aptarentur, & in uno Altari statuerentur, prout factum fuit.

Quæritur an præf. Prior ob dictam factarum Reliquiarum extractionem, censuram aliquam, aut pœnam incurserit.

**R** Espondeo: nullam propter hoc præfatum Priorum contraxisse censuram, aut pœnam. Quia licet